



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de  
Antverpiae, 1610**

4 De maiore & suprema Castellanae Reip. Iurisdictione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

restitutionem pretii pro ea parte, quæ perierit. gloss. communiter recepta in d. §. 1. & in l. 1. §. sed & custodiam. ff. eod. tit. de peric. & commo. rei vend. Raphael tamen Fulgofius in d. §. scribit posse quidem asseuerari, quod illud iuriconsulti responsum procedat, ubi venditio est facta ad corpus, & in specie, non ad mensuram, & tamen venditor modum mensuræ dixerit in venditione, quippe qui dixerit, in fundo esse cætum iugera, tenetur etenim verum efficere modum mensuræ, & si di ipsius quantitatem prædictam certam reddere, ac emptori præstare. l. in emptione. in princ. ff. de actio. emp. nisi pars quæ deficit, perierit absque eius culpa, casu quidem fortunæ: non enim tunc tenetur, nec ad restitutionem pretii pro parte perempta, quia ea perit periculo emptoris. Sic sane visum est Fulg. qui optime loquitur. Licet communi sententia receptum sit, iuriconsul. in d. §. 1. intellexisse, ac tractasse de venditione ad mensuram, quam sententiam communem esse faceret eam secutus Curt. l. un. in d. §. in his.

Hæc denique de contractu venditionis tractauimus eo profecto animo, ut hic ad donationes, legata, & alias huiusmodi actiones, nec non & ad priuilegia, Principumque beneficia, quibus iurisdictioni, oppidum, aut ciuitas conceditur, facile lector possit, quæ videntur præctica quæstioni, & controuersis contingenti vtilia fore, caute pro ingenii caput seligere, multaque his addere ad negotii definitionem conducibilia.

## CAPVT IV.

## De summa Regis iurisdictione, quam Maioriam dicimus, quamq; Regio nomine suprema exercent auditoria,

## SVMARIA.

1. suprema iurisdictione quam maioriam dicimus, non censetur villo casu à Rege in alium translata.
2. Appellandum est ad Regem à Prelatis & Episcopis, temporalem iurisdictionem exercentibus.
3. Populi non possunt in Castellana Reipub. iudices & rectores eligere: & inibi de Regis, aut Principis electione herede deficiente.
4. Mortuus preside, an eius vicarius possit iurisdictione vti.
5. Rectores ciuitatum, an inuitis populis, & non potentibus dari possint: & de expensis & stipendiis magistratuum ordinariorum & extracuriamariorum.
6. Nobiles habentes iurisdictionem, an habeant ius hoc, vs ad eorum possit: à iudicibus ordinariis appellari.
7. Guadaluara Regia lex examinatur in summa.
8. Appellandum est à legato ad delegatum: & ibi exponitur Bart. opinio in l. 1. §. ult. ff. quis & à quo appell.
9. Iure Regio appellari potest ad Regem omisso medio.
10. Curia Regis quæ dicatur: & ibi de regis auditoriis, & cancellariis, ac de cancellarij dignitate.

Quamuis Rex ipse ob egregia belli, & pacis facinora in Reipub. vtilitatem preclare gesta, alia ex causa, nobilibus ciuitates, villas, aut oppida Regio beneficio contulerit cum iurisdictione, mero & mixto imperio adhuc in amplissimo territorio exercendis: Team tamen iurisdictionem, quæ apud Regem summa est, cuiusque iure vel querela, vel prouocationes, aut appellationes à iudicibus inferioribus, alique cause ad Regem, vt supremum Reipublice patrem deferuntur, nequaquam videtur transulisse, etiam si vsus fuerit verbis hæc in re quo ad significationem vberimus. Hanc etenim iurisdictionem ideo maioriam vocamus, quod ea proprie pertineat ad supremam principatus recognitionem. Probatur vero hæc sententia multis, sed potissimum, quod nulla temporis præscriptione, nullo temporis vsu adquiri potest à subdito ius illud, quod ab eo ad Principem, cuius imperio subest, non prouocetur. tex. iure Regio in signis in l. 6. tit. 1. 3. lib. 3. ordina. cuius nos meminimus aliquot additis rationibus in regul. possessor. de regul. iur. in 6. 2. part. §. 2. num. 8. idem probatur in l. 2. tit. 9. lib. 5. ordina. His accedit, quod suprema hæc iurisdictioni nullo modo à Rege alienari potest, vt tradunt in specie Lueas de Penna in l. quacunque in 2. C. de omni agro deserto. li. 1. 1. Guliel. Bened. in ca. Raynut. de testa. in verb. & vxorem nomine Adelsiam in 2. decis. in 319. Carol. de Grassalio. li. 2. Regal. Francie, ca. 14. & præter hæc suprema iurisdictioni est ipsa forma, & substantialis essentia maiestatis Regiæ: & ideo impossibile quidem erit in regno, & de regno aliquem esse exemptum, vel exceptum ab illa. textus opt. in ca. cum non liceat. de præscriptione. Quamobrem nõ poterit Rex, nec subinde censetur, aliquem Regni locum, vel eius aliquot homines

ita alteri domino subicere, quod ius appellationum, & supremæ potestatis, etiam quo ad administrationem, & executionem realem apud ipsum non remaneat: est etenim maxime contrarij regie dignitati, quod sub eius principatu locus, vel homines sint, quibus non liceat, nec sit precenem istam probat Carol. Molin. in consuetud. Parisien. §. 2. §. 4. nu. 16. 17. & 18. ex auctoritate Lucæ de Penna in l. i. in 2. 2. 2. Co. de proximis sacror. sermior. lib. 1. 2.

Hinc factum est, & iure regio constitutum, vt à Prelatis Ecclesiasticis ciuilem, & secularem, temporalem ve iurisdictionem habentibus, ad Regem ipsum prouocetur, & appellandum sit. probat hoc regie pragmatica sanctio Regum Catholicorum Fernandi, & Elisabeth Hispal. decreta anno 1502. est vero l. 19. inter huius Regni pragmaticas constitutiones. [hodie l. 1. tit. 1. lib. 4. Recopilat.] Cuius item ratio potest vterius expendi ex eo quod cum temporalis, ac ciuilibus potestas in Castellana Reipub. principatu penes ipsum solum Regem sit, ab eoq; in alios deriuetur: prelati Ecclesiastici nõ possunt aliunde temporalem iurisdictionem habere, quam ex regia concessione, eiusque titulo, & causa: atque ideo semper mansit apud Regem ipsum, iurisdictionem in aliam transferentem, hæc suprema iurisdictioni, quam maioriam dicimus, nec in ipsos Episcopos translata fuit. Qua ratione habent Episcopi, & prelati à Regibus hanc iurisdictionem vt eorum subditi, & vasalli. Quod satis est manifestum. Sic deniq; hanc conclusionem tenent iure ipso communi Bart. in l. i. quando. C. de appellat. Et itidem alij, quorum meminit eos secutus Fel. in c. solita. col. 3. de maior. & obed. Tamen non exacte rationem istam, nec praxim huius regni examinauerit: si quidem non tantum in Hispania, sed in Gallia idem receptum est, vt testantur Specul. tit. de appellat. §. nunc tractemus, ad quem sit appellandum, in fin. Guliel. Bened. in d. capit. Raynut. in verb. & vxorem nomine Adelsiam. 2. decis. in 317. Carol. & Grassalio. lib. 2. Regalium Francie, cap. 14. Ioan. Imbert. Rupellanus lib. 2. Institution. forensium, cap. 3. Extat vero hæc de re Pontificia in dignis decisio in cap. Romana. §. debet. de appellat. in sexta, ubi summus Pontifex de Archiepiscopo respondens ita inquit: Debet autem ad eos ab Episcopis præfate provincie super causis, in quibus temporale iurisdictionem exercent, nisi forte de consuetudine, aut priuilegio. siue iure alio specialiter sit appellandum ad alium, appellari. Hactenus illa constitutio. Etenim ubi prelati Ecclesiastici titulo feudi temporale obtinent iurisdictionem, ab eorum vicariis temporalibus ad feudi dominum directum appellandum erit, iuxta notata in cap. ceterum. de iudi. notant in hac specie glo. & omnes in d. §. debet. Barto. in l. 1. §. si quis ff. de appellat. & Ioan. Rupellanus in d. cap. 3. Felin. in d. capit. solita. col. 3. post gloss. & alios ibi, Panor. & Praposit. in Rubri. de appellat. num. 53. ubi Francus idem notat, num. 35. asseuerans appellationem ad Archiepiscopum, vel superiorem ecclesiasticum deferendam fore: ubi absque iure feudi temporalis iurisdictioni tota, & libera translata fuerit in Episcopum, atque hæc videtur magis communis opinio. Ego vero, quod & paulo ante admonui, opinor in hoc regno Castellæ nequaquam posse vltimam huius communis distinctionis partem in praxi seruari: quippe qui vt queat libere absque iure feudi, & feudalis recognitionis, fuerit iurisdictioni temporalis translata, existimem, penes ipsum Regem supremam manere iurisdictionem, nec hanc censeri in ecclesiasticum prelatum aliquo modo transmissam: & ideo ab Episcopis temporalem iurisdictionem exercentibus ad Regem ipsum est omnino appellandum. nec locus erit Pontificio responso in d. §. debet. vt in specie asseuerant Gulielm. Bened. in d. tit. nu. 319. Carolus de Grassalio in d. tit. 14. Massuerus in pract. tit. de appellat. vers. item a iudice ecclesiastico. Qui tenent, in regno Francie non seruari deprecionem d. §. debet. à quo, ni fallor, hoc est alienum, quod modo probauimus ex ratione superius adducta. Cum sit status ab ipso Principe seculari, qui iurisdictionem temporalium minister est, & iurisdictionem laicam in episcopos transmittit, expressim, vel tacite sibi excepisse supremam iurisdictionem cuius ratione Episcopi eius subditi, & lata dicitur significat one vasalli. Igitur mirum non est, si etiam ex eadem Pontificia decisione conemur instruere, ab ipsis Episcopis, qui temporali vtuntur iurisdictione, quatenus eandem attingit, ad regem appellandam fore.

Quæritur tamen, an Rex, qui alicui nobili, vel Episcopo iurisdictionem, merum & mixtum imperium aliquo in oppi-

do & territorio concessit, fuerit quidē visus & ius primariū appellatio nō itidē transtulisse, vt tandē ad ipsum nobilem, vel Episcopum possit deferri prima appellatio à iudicibus eiusdē loci ordinariis. Est etenim questio ista vtilis admodum, nec est adeo facilis, quin variè spissime in his Hispaniarum regnis hactenus fuerit controuersum. Huic questionī examinandæ præmittam aliquot, quæ, ni fallor, non erunt ab huius tractatus discussione omnino aliena.

Primum siquidem constat, in hac Castellana Republica totam ciuilem potestatem & temporale iurisdictionē penes ipsum solū regē esse, adeo vt apud populos ipsos nulla manserit ciuilis iurisdictionē. Quod probatur ex his, quæ nos adduximus huius operis c. 1. n. 9. & in reg. possess. 2. par. §. 3. n. 3. Idcirco populi nullam habent potestatem constituendi iudices ordinarios, nec magistratus creandi, qui ius litigantibus reddere valeant, sicuti notant iure communi de populis non liberis, Innoc. & Doct. in c. cum accessissent, Felin. in Rub. de appell. n. 4. Alex. cons. 16. n. 13. lib. 3. atque in specie huius regni populus tradit diligenter Pet. Auendanius in tract. de exequ. mandat. regis c. 1. n. 8. l. 2. tit. 4. part. 3. l. 1. tit. 2. lib. 7. l. 1. tit. 15. libro 2. ordm. l. 1. tit. 3. libro 7. & l. 1. tit. 9. lib. 3. Recopil. Quod si rex ipse negligeret, aut omitteret, iudices & magistratus in ciuitates, aut populos mittere, ac destinare, tunc sane donec rex iudices ordinarios mittat, populus ipse, eiusque nomine decurionum collegium iudices poterit in eodem loco constituere, ac creare. Ea siquidem lege translata est iurisdictionē à populo in regem, vt nihilominus apud ipsos populos maneat illud naturale ius constituendi sibi rectore, quoties egerit, neminem à Rege mitti, qui id munus possit obtinere vacantibus ipsis magistratibus. Sed & hæc opinio manifesta ratione constat abique vlla iuris humani auctoritate. Nam etiam si nulla esset humana lex, quæ hoc probaret, profecto id apparet, quia populus, qui omnino rectore indiget, nec vllum habet magistratum à principe sibi constitutum, iure naturali potestatem habet constituendi sibi magistratus, interim dū rex ipse non vtitur potestate à populo in eum translata: alioqui populus ipse, ipsaque Respublica maximum obiret discrimen, & periculum, cui obuiam ire non posset. Quod e regie absurdū. Nec desunt iuris humani testimonia, quæ modo non vacat inquirere, præsertim quia obiter hoc tetigimus ratione, vt opinamur efficaci.

Qua equidem & illud probatur, posse Rempublicam ipsam totius regni, aut prouincie principem, & regem, sibi electione assumere, quoties familia gentilitia, in quam consensu populorum regnandi ius translatum fuit iure sanguinis, prius defecerit. Redit etenim status Republicæ ad primarium illud ius, quod ab initio mundi omnes populi obtinere, de quo in capite primo huius tractatus disputauimus. Sic sane vbi alicuius ciuitatis rector à rege datus, mortē obierit, interim dum rex ipse alium mortuo succederit, ac substituerit, decurionū collegiū magistratus ad regimen ciuitatis creabit, nec populus ipse rectore magna cum ipsius iactura careat. Nec mortuo prefide, quem vulgo correctorem dicimus, eius vicarius, qui iurisdictionem habet ordinariam, quod nos adnotauimus libro 4. v. n. 4. v. n. 4. poterit eandem exercere: cum morte præsidis, aut rectoris expiret omnino potestas eius, qui ab eo fuit vicarius constitutus. Hic enim vicarius eandē, & non aliam iurisdictionē habet, quam ipse, qui eum constituit, & idem est vniuersusque tribunal. c. Roma. in princ. de appell. in specie quo ad vicarios Episcoporum, etiā quo ad cæpta negotia: tenent glo. singularis, inibi communiter recepta in Clem. vlt. de procur. in verb. contestata. Ponor. in c. exirpanda. §. quia vero nu. 12. de præbend. Archid. Ioan. Domin. Franc. & Docto. in c. 1. de offic. vicar. in 6. ad fin. quibus admodum suffragatur tex. in d. Clem. vlt. de procur. ra. Igitur idem erit in vicariis rectorum, & præsidum: cum hi non habeant ius potentius quam Episcoporum vicarii. Nec ipse video orationem congruam differentie. Idcirco non audeo asseuerare, mortuo ciuitatis rectore, minime expirare vicarii ab eodem constituti potestatem: tamen si vir doctissimus Petr. Auendanius id expressim asserat in d. tract. de mandat. exeq. c. 3. n. 1. Ioan. siquidem Faber in §. item si adhuc. Inst. de mandat. nu. 5. contrariam eius quod ego probaui, nequaquam tenet. Nam cum prænotauerit cōmunem canonis sententiā de vicario episcopi, subdit, posse dici, quod iudices & Balliui baronū non reuocentur per mortē eorū, quamuis dicti Balliui habeant quasi omnimodam conformitatem cum officialibus episcoporum: quia barones, qui iusti-

tuunt, sunt domini, prælati non. De Seneschallis vero regis, & Balliuis non videtur dubium: quia illi sunt vere ordinarii, sicut præfides prouinciarum. Hactenus Faber, qui nunquam locutus est de vicariis præsidum, nec rectorū, sed de his iudicibus ordinariis, qui constituuntur ab his baronibus, ducibus, marchionibus, comitibus, & regibus, qui iure proprio habent ius constituendi, & creandi iudices ordinarios, qui non appellantur vicarii. Sed & nunc non disputo de his, quæ Faber tradit: id tamen ex eius relatione deducens, ipsum minime locutum fuisse de præsidum, aut rectorum vicariis, qui etsi ordinarii iudices dicantur, eam tamen iurisdictionem habent vicario titulo ab his, qui ciuilem domini non sunt, sed aliorum commissa iurisdictione vtuntur. Denique regia lege quæ extat inter Philippi II. Regis nostri constitutiones, lib. 3. tit. 5. l. 7. constat vacante correctoris officio eius vicarios, nullam posse exercere iurisdictionem, eorumque officium cessare, eosque ad iurisdictionis vsum, regia, & noua commissione indigere. Expandat tamē lector, an quæ per eandem constitutionem vicariis correctorum data est noua commissio, eo in casu, quo illic datur, nempe quoties corrector ultra tempus ei permissum fuerit absens. Sed & me supremo Prætorio præfidente, eadem lex noua sane sanctione, in casu quo corrector mortem obierit, ex eiusdem summi prætorii decreto fuit palam inducta. Illud vero libenter adiciam, correctoris officium quo Castellana respubl. passim vtitur, inter veteres magistratus contineri in eo libro, qui inscribitur Notitia Romani imperii: illic etenim inter alios connumeratur corrector Apulie, & Calabria, sitque mētio huius magistratus à Sexto Aurelio, & Flauo Vopisco in Aureliano, & à Iurifconsulto in lex omnibus. & l. pen. ff. de offic. præf. ab imperatore. in l. 3. n. tal. l. 1. l. 2. Codicis Theodosiani, & in aliquot marmoreis inscriptionibus apud Wolphangum Lacium lib. 2. de Rom. repub. c. 11.

Secundo erit prænotandum, huius Castellani regni pleorūque populos ius habere ex priuilegio principis, vel ex consuetudine aut prescriptione eligendi iudices ordinarios quos vulgus appellat. Hi vero primam habent causarū cognitionem. Quod satis constat ex l. 1. tit. 2. lib. 7. l. 1. tit. 15. lib. 2. ord. l. 2. tit. 4. part. 3.

Tertio est obseruandum, in hoc regio Castellæ principatu mitti frequentissime in ciuitates, villas, & oppida, præsertim in regia, præfides quosdam, quos vulgo Correctores dicimus, qui iurisdictionē habent & exercent ordinariam, ciuilem, & criminalem, quoad primam causarum cognitionem, quam quidam audientiam primam, nos passim instantiam primam appellamus. Hos vero non esse dandos, nec mittendos populorum expensis, sancitum extat l. 1. c. 2. tit. 16. lib. 2. ordm. hoc idem adnotauit Lucas de Penna in l. amonens. C. de erogati. milit. anno lib. 12. idem ipse senserat in l. quicumque. ad fin. C. de omni agio desert. lib. 12. quem secutus est Petrus Auendanius in lib. de exequendis manda. regis. c. 1. numer. 7. quam sententiam nos ita opinamur accipiendam esse, vt constitutissimum sit, olim minime consuetum fuisse mitti à rege rectores in ciuitates, villas & oppida, nec ipsorum populorum, nec ipsius regis expensis, ex eo, quod ob veterem illam morum simplicitatem, & rerum publicarum quietem, satis idonei erant ad ministrationsi, & executioni iustitiæ iudices ordinarij ab ipso decurionum collegio electi ad regis confirmationem, quos Alcaldes ordinarios dicimus. Idcirco, quia populus habebat ius eligendi hos iudices ex principum priuilegio, aut consuetudine, statutum est non semel, quod alij iudices præter hos nequaquam mittantur à rege, nisi ob causam contingentes fuerint ab ipsis populis, aut cuiuslibet populi maiori parte petiti. Quod mihi admodum probatur ex d. l. 1. c. 2. tit. 16. libro 2. ord. Sed longe apertius constat ex petitione 8. data regi Alfonso vndecimo in Legionē, si totius regni conuentu, Aera 1387. & in petitione quarta data regi Henrico secundo in Burgenfi cōuentu, Aera 1411. Item ex alia petitione oblata regi Ioanni secundo Zamorensi ciuitate, anno 1432. à quibus deducta fuisse dictæ ordinationum constitutiones & leges. Sed & hoc apparet, nam si rectores dandi non sunt, nec mittendi nisi populis ipsis petentibus, manifeste consequitur, in ipsis ciuitatibus, & oppidis iudices ordinarios ad electionem decurionū nominandos constitutos fuisse, qui ius dicerent litigantibus eodem tempore, quo non petentibus populis, minime mitterentur à Rege præfides, aut rectores. Hi vero rectores à Rege missi ad petitionem populorum habere debent stipendium ab ipsis

ipsumet populis. Princeps enim qui primam causarum cognitionem ipsis populorum magistratibus commisit, muneris regio satisfecisse videtur. Unde populi qui rectori à Rege petierint præter ipsos iudices ordinarios, tenentur eidem stipendium publicum solvere. Alioquin ubi Rex primam causarum cognitionem non commiserit, nec reliquerit popularibus magistratibus, tenetur omnino suis quidem expensis rectori, aut iudicem populo dare: cum id muneris regii sit, eaque ex causa regio reditus percipiat: sicuti explicat Luc. de Penna in annotationes. col. 1. ex illius Celaree constitutionis autoritate. Nec est maior ratio in constituendis à Rege stipendiis, quæ dantur iudicibus appellationum, quam in his, quæ dantur primarum cognitionum magistratibus: ubi & hi sunt à Rege, non ab ipsis populis nominandi. Pari siquidem ratione utrumque munus regium est. Duo tamen sunt in hac Castellani regni Republica moribus adeo recepta, ut nihil sit in eius regimine frequentius: nempe, quod à Rege ipso in quascunque civitates, etiam habentes ordinarios iudices, quos Alcaldes appellamus, mittantur rectores externi: & id maxime cõducit in publicam utilitatem propter quietum statum cuiuslibet Republicæ, ad legum ipsarum tutelam, ad ius vnicuique suum reddendum. Deinde, quod hi rectores, non à Rege, sed ex ipsis publicis cuiusque vrbis redditibus congrua, & definita stipendia percipiant. Utrumque vero à frequenti populorum petitione originem habuit, ut iam expeditissimum sit, & idem fiat, etiam populis, non petentibus, sanctissime profecto: cû in eorum tendat commune bonum propter ipsius Reip. tranquillitatem. Atque hæc sunt intelligenda de oppidis regis, & in quibus ipsa iurisdictio Regis est.

In his vero civitatibus, & oppidis, quæ alicui Duci, Comiti, aut Marchioni, nobilive subdita sunt, hoc ipsum est in cõtrouersia, an domini habentes iurisditionem possint populis inuitis, & non petentibus constituere, aut mittere rectori, aliumve iudicem, qui primam habeat causarum civilium & criminalium cognitionem, simul cum ipsis magistratibus à populo electis, ut eam exercent iure præuentionis: & hoc fieri iure posse, conatur probare Petrus Auendanius in dict. tract. de exequendis mandatis regis. ca. 6. nu. 25. quod ipse item admittere, ubi hoc ius fuerit legitimum tit. aut iusta temporis præscriptione quaesitum. At in his locis, in quibus nulla extat hac de re cõsuetudo, aut præscriptio, sed est quaestio ista ex iuris rationibus definienda, maxime dubitanda. Nã licet Rex aut Princeps summus possit hoc facere, quippe qui summam, & totam habet Reip. iurisditionem, domini tamẽ inferiores non sic poterunt hoc iure uti: nec populis ius quod habent, auferre, diminueri, aut debilius reddere. Habet enim popularis magistratus ius primarum cognitionum, eaque lege oppida dominis à Rege data sunt. Quamobrem iniuria fieret magistratibus popularibus, qui ius istud obtinent, si in eisdem oppidis alii iudices ordinarii à dominis darentur & constituerentur in hoc, ut primam haberent causarum cognitionem. Igitur qui hac de cõtrouersia iudicaturi sunt, hæc & alia equissime perpendent, ut quod Reip. sit vtilius decernant, & exequantur. Nos interim his prænotatis, quasdam exponemus conclusiones ad quaestiones propositæ definitionem.

Prima conclusio. † Concessio iurisditionis, meri & mixti imperii, etiã in proprietate, & ratione territorii, intelligitur quo ad primam instantiam, non autem in secunda, nec quo ad causas appellationis. Hoc etenim ius cognoscendi de causis appellationum in dubio non censetur concessum, sed reseruatũ: cum competat superioribus, & maioribus iudicibus, non autem his, quibus iure primarum cognitionum etiam competit. Sic conclusionem hanc tenuerunt Angel. in l. 1. §. qui mandatum. ff. de officio eius, cui est mandatum. iuris. Iacob. de S. Georgio in tract. de feud. & eius inuestit. in verb. vicarius. & verb. cum meo & miso imperio. col. 2. vers. sed an ille. & vers. vasalli. col. 1. 3. vers. vnum semper notetur. Carolus Molina. in consuetud. Parisiens. tit. 1. §. 1. gloss. §. num. 50. quamuis Curt. Iun. in tract. de feud. 7. & vlt. part. quæst. 12. in specie improbet prædictam Angeli opinionem ex quadam Bart. sententia in l. 1. ad fin. ff. qui & a quo appellandum sit. quam paulo post examinabimus, & in effectu idem fecerint Andr. Ifern. in consil. Neapol. Rub. de discret. cognit. cau. fol. 49. & Matth. de Afflict. in eisd. constitut. Rub. 58. ad fin. asseuerantes, nobiles habentes iurisditionem in aliquo oppido, ius itidem habere cognoscendi de causis appellationum. Prior tamen opinio, quam ex Angelo deduximus, in praxi receptior est, ut asserit Albertus Brunus. in consil. 102. col. 2. & probatur: quia cum idem sit tribunal, non est ad dominum ab eius vicario

& iudice appellandum. c. Romana. in princ. de appell. in 6. l. 1. §. vlt. ff. qui & a quo appell. sit. lmo & Angeli sententia obtinet, etiam ubi iurisdictio, merum & mixtum in perium data essent cõtrouersiam omnimoda iurisditione. Nam & hisce verbis non videtur translatum ius cognoscendi de causis appellationum, sed tantum Carol. Molina. in d. n. 50. Iacob. in d. verb. vicarius. & Aym. in consil. 29. num. 9. lib. 2. licet lat. in consil. 16. l. 1. lib. 2. Paul. Paris. consil. 3. nu. 3. l. 1. t. teneant in hoc casu, quoties omnimoda fuerit iurisdictio concessa, in hoc translatum censeri, ut à vicario eius cui concessa est, ad eundem primo appelletur.

Secunda conclusio. Quamvis iudices ordinarii, à populo electi, & à domino confirmati, ab eodem domino confirmante iurisditionem habeant, & accipiant iure tamẽ defendi potest, ab his iudicibus ad ipsum dominum posse appellari. Prior conclusionis pars probatur in Auth. de defensoribus ciuitatum. §. iusturandum. Et eam tenent expressim Bal. in cap. hoc de alodis. idem Bal. in eum omnes. n. 22. de consil. Ang. in d. Auth. de defensoribus ciuit. §. de cetero. Alex. in l. 1. ad fin. ff. de iurisdict. omni. iud. ubi Dec. col. vlt. scribit, hanc opinionem communem esse, quia constat, iudices electos iurisditionem accipere, & habere ab ipso confirmante. Qua ratione in his oppidis, in quibus iurisdictio quo ad primam causarum cognitionem exercetur à magistratibus, quos populus elegerit, & dominus confirmauerit, præconia sunt publice promulganda nomine ipsius domini. Eius etenim est iurisdictio, tamen non constituit dominus quo ad primam causarum cognitionem ibidem exteros iudices, qui forsitan inhumane trahunt ipsos incolas & cives, satis æquum est, & iure subnixum quod iudices ordinarii à populo eligantur, & à domino confirmantur, modovbiq. seruetur exacte quod mori. receptum fuerit. Posterior conclusio pars ex eo mihi placet, quod non sit omnino idem tribunal domini, & magistratuum popularium: cum hi non constituentur libere à domino, sed tantum ab eo confirmantur, postquam fuerint à populo electi. Idcirco admodum conuenit, quod ab ipsis popularibus magistratibus ad dominum appelletur, ut ipse aliquam habeat vel primam vel secundam & causarum cognitionem: quam per se, vel per alios ab eo libere constituendos exercere valeat, alioquin esset profecto iurisdictio penes ipsum abique vsu fere, præsertim libero. Atque ita huius conclusio. partem vltimam tenet Alb. Brun. in consil. 102. col. 2. vers. melius. l. 1. nu. 17.

Extat vero in hoc tractatu, & materia Regia l. a. Ioa. Rege huius nominis primo lata anno Domini 1390. ut cõstat ex ipsius Regis ordinatibus. Sed & eisdem legis mentio fit in Chronica eiusdem Ioannis Regis primi anno 12. cap. 12. cuius constitutionis decisio videtur hoc ipsum constituit. & permittere, quod in hac conclusio. nos quidem constat sumus probare. Sed & eiusdem constitutionis intellectum, & interpretationem hoc in loco missam facimus, quod ea petenda sit à summis & prudentissimis Regii & supremi prætorii iudicibus, & consiliariis pro ipsius Reip. utilitate.

Tertia conclusio. Nihilominus potest inferioribus à Principe, iurisditionem habentibus competere iure specialiter, vel priuilegio ipsa primarum appellationum cognitio. Hęc conclusio satis probatur ex his, quæ superius tradita fuerunt.

Quarta conclusio. A iudice per dominum alicuius oppidi constituto ad audiendas appellationum causas, & ad earum cognitionem, omnino ad Regem, non ad ipsum dominum est appellandum. Hęc conclusio constat iure communi, & Regio: cum idem sit tribunal in hoc casu, sicuti apparet in d. c. Romana de appell. in 6. Nec in hac conclusione potest contingere aliqua cõtrouersia. Alioquin prouocatio, seu appellatio ad Regem facillime tolleretur: cum possent apud inferiores tres omnino conformes ferri, ac pronunciarı sententia: à quibus iure prohibita est appellatio, atque ita Ioa. Faber optime scribit in princ. iuris. de vulg. n. 4.

Quinta conclusio. Vbi dominus causam aliquam appellationis cognoscendam expressim, & specialiter alicui delegauerit: ab hoc delegato ad Regem ipsum, non ad dominum, nec ad eius appellationum iudices, appellandum est. Hęc conclusio constat eadem fere ratione, quæ probata fuit præcedens, nec video aliquam in praxi hac de re cõtrouersiam: tametsi possit quis ex iure communi contrarium deducere vel ea ratione, quæ probatur, à delegato appellandum esse ad delegantem. c. super quæst. §. porro. de officio delegati. c. si delegatus. c. is cui. c. si a deleg. de officio deleg. in 6. l. 1. in princ. & §. 1. l. 3. ff. qui & a quo appell. l. præcipimus. §. 1. & §. habet appellat. c. de appell. ex quibus apparet, appellandum esse à delegato ad delegantem quoties

quoties non tota, nec omnis iurisdictione delegata est, sed eius pars, vel species. Hinc rationi accedit elegans sententia Bar. qui in l. 1. §. ab eo ad fin. ff. quis & a quo appellat. scribit, in hoc distinguit vicarium à delegato, quod vicarius gerat vices ordinarii in eodem loco, & eodem tribunali, in quo consuevit ipse ordinarius iudicare: id est, vt ipse interpretor, qui locum tenet ordinarii habens ab eo sibi delegatam, & commissam omnem iurisdictionem. Quando autem committeret quis alicui vicariatum, non diceretur vicarius, sed delegatus, nec appelleretur ad superiorem, sed ad ipsum, qui cum vicarium fecit. Notat idem Panorm. in ca. vela. ad fin. de officio deleg. Est & ad idem opama gloss. in Clem. 2. de scriptis. ver. foraneo. quæ asserit, foraneum officiale episcopi, qui in aliqua parte diocesis constitutus est, vt illic nomine ipsius prelati iurisdictione vtiatur ecclesiastica & spirituali: in hoc differre, ac distingui à generali vicario, quod hic sit ordinarius, ille vero delegatus, & ideo ab eo ad episcopum appelleretur, notant Felin. in rub. de officio deleg. eo. vit. Panorm. in repet. c. si quis contra. num. 35. de foro com. per. & ni fallor, hæc est magis communis opinio, quam Ang. Aret. legitur in d. l. 1. ab eo. ff. quis & a quo appellat. & laze Robert. Maranta in tract. de ordine iudic. par. 4. dist. 5. num. 27. igitur cum in specie, & casu huius §. conclus. iudex hic sit delegatus, cui causa quadam non omnis iurisdictione commissa est, ab eo erit ad delegatam appellandum. Cui sententia patrocinatorum gloss. in cap. non putamus. & illic Domin. de consuetud. in 6. & Alex. in Rub. ff. de officio eius. cui est mandat. iuris. col. penult. qui sequitur gloss. in d. Clem. 2. idem notat Albert. Brunus in consil. 102. col. 2. text. in d. Clem. 2. idem notat Albert. Brunus in consil. 102. col. 2. text. optinus in c. dilecti. de appellat. Quamobrem Ioan. Lup. in tracta. de iurisdictione regni Navarrae. 2. part. §. 4. regis legis sensum mentionem faciens scribit, eadem lege permittitur esse, quod à iudicibus particularibus in oppidis nobilibus subditis ad eosdem dominos appelleretur: non tamen à iudicibus generalibus, quasi particulares non sint omnino dominorum vicarii, nec eum eo vnum, & idem tribunal efficiant. Tertio aduersus hanc quintam conclusionem plurimum concludit. text. in l. 1. de proconsulibus. c. de appellat. à quo Bald. & Roman. in fine. 75. adnotarunt iure ciuili posse à vicario ad iudicem ordinarium, cuius vices gerit, & à quo constitutus est, appellari: quasi in hoc ius Pontificis à Casareo differat: cum iure Pontificio à vicario generali ad episcopum appellare non liceat, nec ad eum, qui illum constituit, quia idem est tribunal.

Hic tamē vt cunq. vrgentibus minime discedimus à proposita conclusione: quippe qui existimemus, hæc exacte, ac diligenter intellecta, non obesse huic quintæ assertioni. Primum etenim non obstat, quia non negamus, iure Casareo, & Pontificio appellandū esse ad delegatū, vbi is non omnem iurisdictionem, sed eius partē delegauerit: cōtendimus tamen hoc intelligendum esse in terminis iuris communis disponentis, quod à sententia delegati appelleretur ad delegatū immediatum: nec tamen ius commune permittit, quod inferior habens iurisdictionem limitatam, quo ad primam causarū cognitionem, & alteri quo ad ius appellatiōnis subditam, possit delegare semel, vel pluries, vt cognoscatur de vna, vel pluribus causis appellationis frustrando superiorem iure suo: quia hoc esset in fraudem appellatiōnis ad superiorem deuoluendæ. Nā etsi episcopus certā causā committeret speciali vicario, non generali, ad hoc vt ad se, non ad superiorem appelleretur, nō prouderit sibi huiusmodi fraus, & cautela: imo poterit ad superiorem omisso delegante appellari, quæ admodum notat Spec. tit. de appell. §. 4. num. tract. n. 6. Ioan. And. Domin. & Fran. in c. Romana. in princ. de appell. in 6. Bertachinus in tract. de episcopo, lib. 4. parte 8. q. 26. tradit eleganter Carol. Mol. in consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gl. 25. quod si fraus omnibus abesse, eiusque suspicio cessaret, posset in hac specie à delegato episcopi appellari ad delegatam iure Pontificio: sicuti Spec. idē, & alii post eum voluerūt, quos sequitur gl. in Pragm. sanctione, in verb. medio. colum. 4. Hæc tamen delegatio ob frequētes hominum fraudes hodiē maximam habet suspensionem, atque ideo multo vtilius est, quod ad Metropolitanum ab hoc delegato, non ad delegatam appellatur.

Sed & Carolus in d. nu. 52. citat Io. Fab. in prim. ins. de vulg. tēntem, iure ciuili non posse appellari à delegato ad delegatam: sed ad eius superiorem appellandū esse: idq. generaliter verum esse is auctor sensit, vt tandem secundum eum vbi quis alicuius causæ omnem cognitionē delegauit,

non possit ad eum à delegato appellari. Imo & ipse Faber improbare videtur, quod secundo loco de iudice Episcopi foraneo adduximus, ad comprobationem opinionis Bartoli: quæ etiam si refragante Fabio iure possit admitti, vlti tamen forensi minime recepta videtur, quo ad seculares iudices. Nam si præfes prouincia, aut ciuitatis rector in aliquo proprii territorii oppido vicariū cōstituerit, ab eo vicario ad rectores, vel præfides superiorū, non ad ipsum rectorem vel præfidem est appellandum. Sic sane in praxi locus omnino non est opinioni Bartoli in d. l. 1. §. ab eo. ff. quis & a quo appellat. quia in re obseruare oportet exacte, quid moribus & vsu fuerit receptum. Vnde poterunt facilius intelligi, quo breuiter scribit Rebuff. in comment. ad leg. Regias, 3. tom. tit. de appellat. in prim. col. 4. affluerans, in regno Franciæ à vicariis, & locis tenentibus, & à subdelegatis ad Regem, & eius curiam, non ad delegatam, nec ad eum qui vicarium constituit, appellari. Idem etenim & apud nos in his Castellani regni prouincias passim fit: eum à locum tenentibus, etiam particularibus non appelleretur ad præfides, nec ad prætores, sed ad ipsum Regem eiusque curiam.

Quod vero ex Bald. in d. l. à proconsulibus. tradidimus, falsum esse constat. Si quidem nec de iure ciuili poterit ad ordinarium, vel rectorem ciuitatis ab eius vicario appellari: cum idem sit tribunal, vt explicat Bart. in d. §. ab eo. idem Bart. per text. ibi in l. præcipimus. C. de appellat. Dec. in c. dilecti. de appellat. Bald. si bi contrarius in Margar. Innocent. littera S. n. 15. Quibus non obest decisio tex. in d. l. à proconsulibus. Quia loquitur in vicario præfecti pratorio: cuius quidem præfecti pratorio tantum olim dignitas, vt ab eo tanquam à principe minime liceret prouocare: idcirco mirum non est, quod ab eius vicario ad eum appelleretur: cum ad alium non possit appellari. Eandem opinionem post Bart. tenet Angel. in d. l. præcipimus. Hoc ipsum sensit & gl. in d. Pragmatica sanctione, tit. de causis. §. nec ad quemcunque. in verb. medio. scribens decisionem tex. in d. l. à proconsulibus. procedere in vicario eius, qui superiorem non habet, ad quem appelleretur. Idem & Francus sensit in d. c. dilecti. q. 6. vnde fit, vt hæc quinta conclusio satis his rationibus fuerit probata. Quamobrem idem fortassis erit in eo casu, quo dominus alicuius oppidi, causam quam alteri delegauerit in prima instantia, quo ad primam causæ cognitionem, & definitionem. Nam ab hoc delegato ad regem, non ad dominum appellabitur: etiam si contrarium voluerit Albert. Brunus in d. consil. 102. col. 1.

Sexta conclusio: Quamuis iure regio domino oppidorū ex d. l. Guadalupæ. aliove legitimo titulo ius habeant primarium appellationum, quæ à iudicibus ordinariis proponuntur: poterunt tamen subditi liberi omisso medio ad regem eiusque curiam prouocare. Conclusio ista probatur ex eo, quod regis legibus, & ordinationibus prohibitū sit quodcunque grauamen, quod fieri soleat in oppidis dominorum nobilitū his, qui ad Regem, eiusque curiam appellant. Et deinde institutum, quod in his locis libere permittantur quæcunque ad Regem appellationes. l. 24. tit. 16. lib. 3. ordin. & l. 1. tit. 1. cod. lib. 1. §. 1. 7. tit. 1. 4. Recop. Sic sane apud Regia Castellani suprema tribunalia passim admittuntur appellationes, quæ sunt & proponuntur, etiam omisso medio nobilitū dominorū iurisdictionem habentium tribunalis, cuius quidem tribunalis cognitio pertinet ad eas appellationes, quæ fuerint ad id tribunal delatæ. Hæc autem praxis potuit originem ducere à Regia lege partitarum, quæ permittit appellationes ad Regē deferri, ad eiusque curiam omisso medio: quemadmodum decisum extat in l. 18. tit. 23. part. 3. Idē enim ex iure Pontificio constat, quia ad summū Pontificem appellari potest omisso medio, c. ad Romanam. 2. quest. 6. Et est communis opinio Doctor. in c. dilecti. de appellat. Quamuis adhuc aliquot ecclesiastici iudices nolint deferre appellationibus ad summum Pontificem nominatim expositis omisso medio: quod in concilio Basiliensi constitutum fuit: vt patet in Pragmatica sanctione Gallicana, tit. de causis iure tamen Pontificio ad legatū de latere omisso medio appellari poterit gloss. in c. Romana. in princ. in verb. ad curiam. de appellationibus. in 6. notatur in c. primo de officio legati. Tradit optime Francus in dicto cap. dilecti. quest. 8. Quin & omisso medio appellationes ad quemcunque, maxime Regem deferuntur legitime, si nemo petierit earum remissionem ad eos iudices, qui ex iure ordinario primarum appellationum cognitionem habent. Nam appellatio omisso medio proposita, causæ cognitionē deuoluit, etiam vbi appellari omisso medio nō potest, si nihil fuerit ex

